

3812 3821

29

DED OPT. MAX. PRÆSIDE SUMMO

DISSERTATIO

DE

EXECUTIONE
REI JUDICATÆ,

Quam

COELESTI FAVORE AUXILIANTE,

PRÆSDIE

DN. GEORGIO ADAMO

Struben/

Jcto Consummatissimo, Serenissimo-
rum Ducum Saxo - Vinariensium Consilia-
rio intimo Eminentissimo, Facultatis Juridicæ
Ordinario, Curia Provincialis, & Scabinatûs Ad-
fessore Gravissimo,

DN. PATRONO OMNI OBSERVANTIÆ

CULTU ÆTERNUM DE VENE RANDO

placida Eruditorum disquisitioni exhibet

GOTHOFREDUS Staude/

Plaviâ Variscus.

Ad d. 23. Aprilis clc lcc LXXIX.

JENÆ, Typis JOHANNIS NISL.

Diss. jur. civ.

190, 14

1. 409.

Nobilissimo, Amplissimo, Consultis-
simo atque Excellentissimo
DN. GOTHOFREDO

Wilden/

J. U. Dndo, Reipubl. Plaviensis Pro-
consuli Meritissimo, Gravissimo,

Dn. Patrono, Promotori, Fautori &
Adfini filiali honore & amore pro-
sequendo,

DISSERTATIONEM HANC

In gratæ mentis argumentum &
debitæ observantiæ tesseram

D. D. D.

G. Staude.



CAPUT DECIMUMTERTIUM,
De
EXECUTIONE REI
JUDICATÆ.

APHOR. I.

RES judicata est, quæ finem controversiarum pronunciatione judicis accepit: quod vel condemnatione vel absolutione contingit, *l. 1. D. de re jud.* Non rectè ergò interpretes dicunt, sententiam post dies decem transire in rem judicatam, *l. eleganter 23. §. si post rem D. de cond. indeb. l. litigatoribus 14. C. de appel. Cujac. in par. C. de re jud. Pac. in Isag. D. eod.*

Diff. post alios Rebuf. tract. de sent. exec. in pref. n. 7. & seqq.

* Formula ista Jure Canonico, quo præcipuè quoad processum utimur, tradita *C. 13. vers. jus ex sententia factum fuit, postquam in rem transit judicatam d. sent. & re judic. C. 15. vers. taliter. eod. tit.* & constitutionibus Principum imperii approbata Chur Sächs. Process- und GerichtsOrdn. tit. 39. Fürstl. Magd. ProcessOrdn. cap. 47. Fürstl. Goethaisch. Gerichts- und ProcessOrdn. cap. 17. verb. wann ein Abschied oder Urtheil krafft Rechtens erreicht oder erlanget.

II.

Tempus judicati faciendi hodie est IV. mensium, quo elapso, etiam usurae sortis centesimae debentur *l. 2. § ult. C. de usur. rei judic.* Nempè in personalibus judiciis, in realibus restitutio facienda est statim, §. *etsi in rem Inst. de off. jud. l. qui restituere 68. D. de rei vind.* Nec in omnibus personalibus: non in interdicto de homine libero exhibendo *l. ult. §. nullo D. de hom. lib. exhib.* non in iis, quibus rei nostrae possessionem avocamus, ut commodati, depositi, & similibus, arg. *l. si longis 7. C. de exec. rei jud. l. 2. C. de fruct. § lit. expens. l. pen. C. de depos. Cuj. par. C. de exec. rei jud. Wurms. tit. 23. obs. pract. 1.*

III.

An tempus istud à iudice arctari, prorogari possit, quaeritur? Affirmat Ulpianus in *l. 2. D. de re jud.* Negare videtur idem in *l. 4. §. si quis condemnatus eod. tit.* Nulla hic antinomia est. Quin & ex causa omninò præcidi posse, rectè, puto, colligunt interpretes ex *l. debitoribus 31. D. eod.* Vid. Zas. & Duar. in *d. l. 2.* Donel. in *d. l. 4.* Coler. de process. exec. part. 3. cap. 6. n. 9. & seqq. Vall. de reb. dub. tract. 16. n. 4.

* Duarenus prælect. ad *d. d. l. 2.* annotat, quod ista loquatur de Magistratu, qui pro tribunali cognoscit: Cujusmodi est Prætor urbanus: hic cognoscit plerumque extra ordinem: add. *l. 31. eod.* Verùm *d. l. 5. §. 5.* agat de iudice dato, cuius non est præfinire tempus Magistratui, ad quem executio pertinet. *l. à Divo Pio. 15. eod.*

De usu hodierno Vid. Mev. Part. 4. dec. 400. Manz. dec. 379. n. 12. & seqq. Syntagm. Jur. civ. Exerc. 44. thes. 19.

IV.

Illud non possum probare, quod Cujacius *d. loc.* scribit, non dari hoc spatium nisi petenti: cum enim dies ju-
 sti

si sint, cum indulgeantur à lege humanitatis gratia, profintque etiam fidejussoribus & mandatoribus, utique ipso jure etiam non petentibus profint necesse est, *d. l. 4. §. si quis condemnatus D. de re jud. d. l. 2. §. ult. C. de usur. rei jud. l. 1. C. Theod. eod. l. cum militi 16. §. 1. D. de compens. l. 3. pr. D. de usur.*

V.

Sed nec illud, quod Baldus scribit *l. ult. C. de exec. rei jud. n. 3.* eumque secutus Wurm. *d. obs. 1. n. 11.* non prodesse hoc tempus condemnato ex delicto. Res ablatas, fateor, absque mora restituere debent: sed condemnati in pœnam pecuniariam, qui minus gaudeant tempore legitimo, non video.

VI.

Intra constitutum tempus si condemnatus non satisfecerit, vel actio rei judicatae instituitur, ad præstandum id, quod in condemnationem deductum est, vel recta fit executio. Actio rei judicatae tum inprimis utilis & necessaria est, cum dubitatur an judicatum sit, aut exceptionibus aliquibus adversus judicatum reus munitus est. Eâ enim quæritur, non an debeat reus, sed an judicatum sit, *l. miles 6. §. ult. l. post. rem. 56. D. de re jud. l. minor 40. D. de minor l. 19. §. si plures D. de pign. §. hyp. Donel. 27. com. in d. l. miles Gentil. 1. de jurisd. cap. 9.*

VII.

Instituitur adversus reum principalem, non adversus procuratorem, tutorem, curatorem, syndicum; nisi liti se obtulerint, aut in rem suam dati sint *l. 4. D. de re jud.* Quod si plures una sententia, in eandem quantitatem condemnati sint, pro portione virili in singulos datur, *l. Paulus 43. D. eod. l. 1. §. 2. C. Si plur. un. sent. cond. sint. l. si qui 10. §. quotiens D. de appellat.*

VIII.

Exceptiones rei judicatæ hæ ferè opponuntur: Quod receperit actor id quod petebat *l. 1. C. de re jud.* Quod post rem judicatam novatio facta sit, *l. 4. §. si ex conventionem D. eod. l. 1. C. de exec. rei jud.* Quod obligatio ipso jure extincta, *d. l. 5. §. pen. D. de re jud. l. 2. C. de Compens.* Exceptio Macedoniani, Vellejani, *l. tametsi 11. D. ad SC. Maced. doli mali*, qua petimus nobis cedi actiones *l. 41. §. 1. D. de fidejuf.* non etiam illa, quod victor agendi jus non habuerit. *l. cum putarem 36. D. famil. ercisc.*

IX.

Sed præcipuè opponimus, quod aut omninò judicatum non sit, aut inter alios, aut non ritè, *l. 4. §. condemnatum l. sæpè 63. D. de re jud. tit. C. Quib. res jud. non noc. tit. C. Int. al. act. vel. jud. al. non noc. l. 1. D. de exc. rei jud. l. 8. in fin. D. de inoff. testam.* Memorant tamen interpretes casus aliquot, quibus etiam citra judicatum præsens parataque sit executio: ut, si quis obligatus sit instrumento, quod guarentigiatum Itali vocant, aut si quis instrumenti, quod profertur, fidem apud judicem agnoscat, aut ultro condemnari se patiat, *Boer. decis. 295. Covar. pract. quest. 23. in fin. Baro in com. Gall. ad tit. Inst. Quib. mod. recontr. oblig. Gudel. 3. de jur. noviss. cap. 17. in fin.* Verùm hi casus moribus magis quàm juri Romano adscribuntur, *Coler. de proces. exec. part. 1. cap. 3. n. 20.* Quod autem Bartol. *in l. pen. C. depos. Costal. in l. 1. D. eod.* putant etiam depositum paratam habere executionem, in jure non invenio.

X.

Porro executio fieri debet auctoritate publica. Qui privata libidine pignora ceperit, furti tenetur, aut vi bonorum raptorum *d. l. miles §. pen. D. de re judic.* aut si execu-
tio-

tionem poposcerit, cum causæ cognitio non præcessisset, actione quod metus causa damnatur *l. ult. §. ult. D. Quod met. caus.*

XI.

Et quidem magistratus, vel is qui jurisdictionem habet, ipse sententiam suam exequitur per officium, seu apparitionem: Qui verò notionem nudam habent, eorum sententias exequuntur hi, à quibus dati sunt, *l. à D. Pio 15. D. de re jud.*

XII.

Quid si alibi sententia dicta sit, alibi reus domicilium & bona possideat? Respondent interpretes, scribere debet qui jus dixit, ad præsidem alterius provinciæ, ut sententiam à se dictam exequatur *arg. d. l. 15. §. 1. l. properandum §. sin. autem reus C. de jud. nov. 134. cap. 5. c. Romana §. contrabentes de for. compet. in 6. Zas. Duar. & Dd. com. in d. l. 15. Imbert. 1. Inst. for. 10. Hart. ab. Epp. tit. 1. obs. præf. 6. Sande lib. 1. tit. 12. def. 5. Potest & absque hujusmodi literis, actio rei judicatae institui apud alterius provinciæ præsidem, Alciat. in *l. pen. D. de jurisd. n. 10. Potest princeps adiri, ut mandet executionem alteri, Donel. in d. l. 15. §. 1.**

XIII.

Modus exequendi non unus est: vel enim fit manu militari, vel captis pignoribus, vel missione in possessionem, vel carcere. Dissentiunt quidem non pauci, captionem pignorum confundentes cum missione in possessionem, ut videre est apud Coler. *d. part. 1. cap. 2. n. 44. & seqq.* verùm nullis legibus subnixi.

XIV.

Manu militari executio fit, cum quis rem certam sive corpus restituere jussus, non paret judici cum posset, *l. qui resti-*

restituere 69. *D. de rei vind. Zas. in d. l. miles §. qui judicati n.*
9. D. de re jud. Duar. ad tit. D. de in lit. jur. n. 44. Gudel. d.
lib. 4. cap. 16. Exequitur etiam prætor decretum suum de
missione in possessionem interdum manu militari l. 3. D.
Ne vis fiat ei qui in pos. miss. er. l. 5. §. missus 27. D. ut in poss.
legat.

XV.

Captis pignoribus executio tum potissimum fit, cum
reus jussus est pecuniam solvere *l. 4. D. de re jud. Gudel. d.*
loc. Capiuntur pignora per officium ejus, qui jurisdictioni
præest d. l. 15. D. eod. l. 1. 2. & tot. tit. D. de exec. rei jud. l. 2. C.
Si in caus. jud. pign. capt. sit. Primò quidem res mobiles,
inprimis animales: tum immobiles: postremò jura, d. l.
15. §. in venditione l. 5. C. de Exec. rei judic.

XVI.

Hunc ordinem an executor postulante creditore ne-
gligere possit, quæritur? Bartolus & Dd. com. eosque secu-
ti Zas. & Duar. *in d. l. 15.* existimant posse; eo quod magis
creditoris, quàm debitoris favore constitutus sit. Rectius
post Raphael. & Alex. Donel. *in ead. l. 15. Afflic. decis. 358. n.*
2. Marant. part. 6. de execut. n. 8. & 9. Parlad. 2. rer. cotid.
cap. fin. part. 5. §. 3. n. 4. censuerunt, non posse; quia ordo
utriusque utilitatem continet, tam debitoris, quàm cre-
ditoris, *arg. ej. l. 15. & l. 1. §. deminutio D. de vent. in poss.*
mit.

XVII.

Annonæ & stipendia militum, nec non commoda
præmiorum, quæ pro coronis athletis præstantur, non pos-
sunt capi, quandiu supersunt res aliæ, ex quibus judicatio
fatisfieri possit *l. 4. C. de Exec. rei jud. l. commodis 40. D. de*
re jud. Quo argumento rectè dixeris, nec commoda cleri-
corum,

corum, nec salaria doctorum capi posse, donec res aliæ superant, Bald. *in auth. sed jam cautum C. depos. Zas. in d. l. 40.* Cujac. *ibid. lib. 10. Resp. Papin.*

Diff. ex parte Duar. *in ead. l. 40.*

XVIII.

Prohibentur etiam executores capere servos aratores, boves aratores, instrumenta aratoria, *l. executores 7. & l. seq. C. Quæ res pign. oblig. non poss.* Quod cum Don. *in d. l. 7.* intelligimus eadem conditione, si res aliæ supersint, unde iudicatio satisfieri possit. Et licet *d. l. 7. de instrumentis prædiorum tributariorum* loquatur, rectè tamen Bartolus scripsit: idem esse etsi prædium tributarium non sit.

XIX.

Adjiciunt doctores arma militum, libros scholarium & advocatorum, instrumenta artificum, vestes cotidianas, lectum, reliquamque necessariam suppellectilem. *arg. glos. in l. Nepos 125. verb. dignitate D. de V. S. Argent. ad cons. Brit. art. 239. Parlad. d. part. 5. §. 3. n. 16. & seq.* Ex his rebus arma militum, vestesque necessarias nec in subsidium capi posse putamus: reliquas autem tunc posse, cum aliæ non superant. *Facit l. 3. §. 13. l. 14. §. 1. D. de re milit.*

XX.

Nomina capiuntur capto chirographo, vel instrumento obligationis, *arg. l. 1. C. de donat.* aut denuntiando debitori, ne creditori suo solvat, *arg. l. nomen C. Quæ res pign. oblig. poss. l. ult. D. de leg. commis. l. heres 21. D. ad SC. Trebel.* Possumus & debitoris debitorem convenire utili Serviana, vel personali, *arg. l. si convenerit 18. D. de pign. act. l. 3. C. de hered. act. l. 2. C. de obl. & act. d. l. nomen, & l. 2. C. Quand. fisc. vel priv. deb. sui deb. ub. Donel. in com. Cujac. in parat. Gudel. d. cap. 16.*

XXI.

An depositariis quoque denunciari potest, ne res depositas restituant condemnato: aut colonis, ne pensiones? Potest, dummodo in scriptis id fiat, juretque depositarius absque dolo suo & fraude id factum. Potest tamen & dominus non obstante denunciatione rem recuperare, si præstet depositario idoneam cautionem securitatis, *l. 15. §. pen. D. de re judic. l. pen. §. autb. sed jam cautum C. depos. nov. 88. cap. 1. §. 2. Cuj. in d. nov. Donel. in d. autb. Giphani. in d. l. pen.*

XXII.

Capta pignora, post duos menses, distrahuntur publicè sub hasta, addicunturque pluris licitanti, *l. 15. §. in venditione l. debitoribus 31. D. de re jud. l. 3. si §. executor D. de neg. gest. l. si pignora 50. D. de Evict. l. 3. C. de exec. rei judic. Sive extraneus sit emtor, sive ipse qui judicio vicit, emere velit. l. 2. C. Si in caus. jud. pign. capt. sit.*

XXIII.

Distrahenda autem sunt præsentis pecunia *d. l. 15. §. sed si emtor. D. de re jud. Costal. in l. 14. §. eleganter D. Sol. matr. Quid si contra factum fuerit? Respondent Dd. imperfectam esse venditionem, nulliusque momenti. Zas. in d. §. sed si emtor, Rebuf. de prac. §. licit. art. 7. n. 22. Papon. lib. 18. arrest. tit. 6. arr. 15. Atqui si verba Jcti spectemus in d. l. 15. consultum id magis, quàm necessarium esse videtur,*

XXIV.

Si emtorem non reperiant, addicuntur ipsi cui quis condemnatus est, ea quantitate, quæ debetur, *d. l. 15. §. si pignora D. de re jud. Verba, ea quantitate, quid sibi velint, quæritur? Nobis placet ista interpretatio: Ea quantitate, quæ debetur: id est, ad modum debitæ quantitatis. Qua ratio-*

ratio-

ratione si pignora minora fuerint debito, superfluum petere non prohibetur creditor: & contra si pluris tantam pecuniam restituere tenetur, Duar. in d. §. si pignora, Forcat. in necyom. dial. 13. Giph. in l. ult. C. de jur. dom. impetr.

Diff. Donel. in d. §. si pignora: aliter Alciat. 6. parad. 3.
XXV.

Non minus difficultatis verbum additionis peperit; quod communis schola pro datione in solutum accipit: alii pro adjudicatione, qua prætor permittat res jure pignoris possidere. Rectius Alciat. d. loc. id verbum ita accipit, ut capi in subhastationibus solet. Rectius Fab. de err. pragm. dec. 56. er. 4. 5. & 6. de missione in possessionem interpretatur, qua prætor olim quasi dominum, seu bonitarium faciebat, hodiè verum dominum arg. l. 3. C. de exec. rei jud. l. si finita 15. §. Julianus & §. posteaquam D. de dam. inf. lib. un. C. de nud. jur. Quir. tol. Rectius, inquam, uterque, quam vulgus: sed uter ex ipsis rectius, haud pronum judicatu est.

XXVI.

Sequitur missio in bonorum possessionem. Ea fit ex tribus causis: rei servandæ, legatorum servandorum gratia, & ventris nomine. Nam quæ damni infecti causa fit, ea non fit in universa bona, sed eam duntaxat rem, cujus ruina timetur, l. 1. D. Quib. ex caus. in poss. eat.

XXVII.

Rei servandæ gratia mittitur creditor in possessionem bonorum, si debitor latitet, nec defendatur, postquam iudicio sistendi causa cavisset: Si decesserit sinè herede, aut heres debitoris sinè successore: Si condemnatus latitet. l. 2. l. Fulcinius 7. D. eod. l. pro debito 6. C. de bon. auct. jud. poss. l. 2. & 3. C. Qui pot. in pign. Cuj. in par. C. Si in caus. jud. pign. capt. sit. & Qui bon. ced. pos.

B 2

XXVIII.

XXVIII.

Fitquê, secundum interpretes, missio vel ex primo decreto, vel ex secundo. Ex primo missi jubentur in possessione esse custodiæ causa: Ex secundo jubentur possidere tanquam domini, ut fructus suos facere, & bona distrahere eis liceat, *l. 3. §. ult. D. de adq. poss. d. l. 2. & l. 7. §. 1. & 2. l. cum legatorum 12. D. Quib. ex caus. in poss. eat. l. 8. §. 1. l. 9. & seqq. D. de reb. aut. jud. poss.*

XXIX.

Secundum eosdem inter primum & secundum decretum anni spatium intercedere debet, idque in personalibus judiciis: In realibus, si intra annum, à prima missione computandum non respondeat debitor, volunt sinè alio decreto creditorem juris dispositione possessorem effici. *Specul. de secund. decr. §. juxta n. 2. Wes. par. de dam. inf. n. 3. & 7. & par. de reb. aut. jud. poss. n. 3.*

XXX.

Iidem tradunt fieri missionem primò in possessionem rerum mobilium: si hæ non sufficiant in immobilium: Postremò in possessionem nominum & rerum incorporalium: idque pro mensura debiti. *Specul. de primo decreto §. restat. Wes. par. de dam. inf. n. 7.* Nihil horum probare possum.

* Quid hodie obtineat traditur *d. Exerc. 44. tb. 18. vers. iste verò ordo.* Add. Brunemann. *proc. jur. civ. cap. ult. num. 25. & sqq.*

XXXI.

Nam, ut à postremo incipiam, fœdè confunditur ordo capiendi pignora, cum missione in possessionem. Est etiam falsum, fieri missionem pro modo debiti: fit imò in universa bona statim ab initio *l. 19. D. de in jus voc. l. 1. §. 2. D. Ut legat.*

IIVXX

*legat. nom. cav. l. 3. § 7. D. Quib. ex caus. in poss. eat. l. 1. C. de
prat. pign. Cujac. in nov. 53. cap. 4. Pac. in Isag. D. Ut legat. nom.
Donel. 23. com. 11. Gentil. 1. de jurisd. 24.*

XXXII.

Quod ad secundum attinet, non est anni spatium, sed
nec ullum aliud spatium legibus definitum, quo secundum
à primo decreto disparetur: quin totum hoc arbitrarium
est, arg. l. 7. pr. vers. § cum justa causa esse videbitur l. 1. 5. §.
non autem statim D. de dam. inf. Cuj. 5. obs. 30. in fin. aut si
ullum tempus legitimum, non aliud comminisci possumus,
quam quod citatio & legitima edicta requirunt, Donel. 23.
com. 13. in fin.

XXXIII.

Quantum ad primum, decepti videntur interpretes,
dum putant, juberi creditores secundo decreto possidere,
secundum enim decretum, quo possessio in missum transit,
tantum in causa damni infecti interponitur d. l. 7. d. l. 15. §.
si quis autem 20. D. de dam. inf. l. 3. §. ult. l. qui universas 30. §.
item cum prator D. de adq. vel amit. poss. l. 3. C. Si in caus. jud.
pign. capt. l. 21. §. ceterum D. Ex quib. caus. maj. l. 5. D. Ut in poss.
leg. nom. l. 3. §. creditores D. Ut in poss. l. 5. l. 7. §. item si duo §. §.
seq. D. com. div. Gentil. 1. de jurisd. 24. Giphian. in proleg. ad
lib. 8. Cod. pag. 262.

XXXIV.

Aut ut maximè creditores aliquando etiam possidere
jubeantur, arg. l. 3. C. de exec. rei jud. Id tamen secundum
decretum esse nequit, sed tertium potius quartumve. Con-
stat enim vel ex Ciceronis oratione *pro Quintio*, nec non
Theophili paraphrasi, *tit. inst. de suces. subl.* postquam credi-
tores missi sunt custodiæ gratia, impetrari decretum, non de

bonis possidendis, sed vendendis, & legibus venditionis pro-
scribendis.

* Vid. d. Exerc. 44. tb. 38. & seqq.

XXXV.

Porro si plures sint creditores, & aliqui petierint se
mitti, eorum postulatio omnibus proficit, l. 5. §. si plures &
seqq. D. Ut in poss. leg. l. cum unus 12. D. de reb. auct. jud. poss. l.
cujus effectus 148. D. de reg. jur. Ita tamen, si praesentes intra
biennium, absentes intra quadriennium missis debitum su-
um certum faciant, & partem sumtuum quos illi fecerint,
pro rata sufferant, l. ult. C. de bon. aut. jud. poss. Excipitur is,
qui sciens cum fraudatore contraxit: hic non venit in par-
tem cum caeteris creditoribus, l. ait praetor 25. D. de reb. aut.
jud. poss.

XXXVI.

An ei quoque proficiat decretum, cui sub conditione
debetur, controversum est. Affirmat Paulus in l. 6. D. Quib.
ex caus. in pos. eat. Negare videtur idem in l. pen. §. ult. D.
eod. nec non Papinianus in l. eo tempore 50. D. de pecul. Nul-
lum hic dissidium; Accurs. & Bartol. in d. l. 6. Cujac. 10. obs.
32. Donel. 23. com. 11. Pac. cent. 7. ant. 11.

* Vid. d. Exerc. 44. tb. 37. ibique evolut.

XXXVII.

Aequè controversum est, si pater, dominusve, cum quo
de peculio agi poterat, latitet, an in bonorum ejus possessio-
nem missio fieri possit, etsi nihil in peculio sit? Negat Pa-
pinianus in d. l. eo tempore: Affirmat Ulpianus in l. Fulcinius
7. §. si quis actione 15. D. Quib. ex caus. in pos. eat. De concili-
andis vide Donel. d. cap. 11. Cujac. lib. 9. Quaest. Pap. in explic.
d. l. 50. Pac. 4. ant. 63.

* Papinianus in l. 50. d. pecul. missionem regulariter

eo

eo casu denegat: Ulpianus verò *in l. 7. §. 15. quib. ex caus. in poss. eat.* certa ratione ac instar exceptionis concedit: Si nimirum tempore rei judicatæ esse aliquid possit in peculio, ut quando filius adhuc vivit: nec tamen plenum missio habet effectum, ut scilicet bona etiam distrahantur; sed solum, ut rei servandæ causa possideantur, usque dum appareat, an tempore rei judicatæ quid superventurum sit. Similiter ob debitum sub conditione creditor latitans cum pleno effectu non mittitur in possessionem *d. l. 50. vers. num. 5.* sed tantum ejus bona interim possidentur, usque dum appareat, an conditio existat nec ne. *l. 10. l. 11. quib. ex caus. in poss. eat.*

XXXVIII.

Si in bonis sint fundi fructuarii, aut vectigales, an in eos quoque fit missio? Fit: salvo tamen jure domini: *l. 8. pr. D. de reb. aut. jud. pos. l. 5. §. bonorum 5. seqq. D. Ut in poss. legat. l. 9. §. ult. l. 15. §. si qua sine jura 5. seqq. D. de dam. inf. l. 31. D. de pign. 5. byp. l. 71. §. ult. D. de leg. 1. l. 69. §. prædium D. de leg. 2.* Idemque de feudali prædio dici potest, Curt. *de feud. part. 4. n. 39.* Gail. *1. obs. 117.* Coler. *de proces. exec. part. 2. cap. 3. n. 282.* Parlad. *d. part. 5. §. 3. n. 31.* Hart. Pistor. *1. quest. 15.*

XXXIX.

An in bona quoque municipiorum fieri potest missio? Quid ni? - cum habeantur loco privatorum *l. bona 15. D. de V. S. d. l. 15. §. sed in vestigali 27. D. de dam. inf.* Quid si bona non habeat municipium? Respondent Dd. contributionem à municipibus faciendam. *Glos. in l. 1. §. fin. D. Quod cuj. univ. nom. Bartol. in l. 4. §. actor. D. de re jud. Bald. in l. 5. C. de exec. rei jud. Zas. in l. 4. pr. n. 25. D. eod. Parlad. d. loc. n. 35. Confer Coler. d. cap. 3. n. 326.*

XL. Cæ-

XL.

Cæterum missus in possessionem rei servandæ gratia, custodiam & observationem rerum consequitur. Hæc verò & fructuum colligendorum potestatem continet: non ut eos lucretur, ne quidem ut alatur inde, sed ut custodiat *l. 7. pr. D. Quib. ex caus. in poss. eat l. 8. §. 1. l. 9. pr. D. de reb. aut. jud. poss.* Aliquando sanè etiam fructum percipit, *d. l. 7. §. ult. l. 5. §. Imperator D. ut in poss. leg. nom.*

XLI.

Consequitur etiam statim ab initio pignus, quod prætorium vocatur, in universis bonis debitoris, etiam nominibus *l. 12. D. pro emt. l. 1. §. 2. C. de prat. pign. d. l. 5. D. Ut in poss. leg. l. 5. C. eod. l. 26. D. de pign. act. l. 3. §. 1. D. de reb. eor. qui sub tutel.* Cui consequens est, ut & amissam possessionem utili hypothecaria persequi possit, *d. l. 2. C. de prat. pign. ub. Cuj. in parat. §. 5. obs. 30. idem 9. obs. 37. Pac. in Isag. D. de reb. aut jud. poss.*

XLII.

Quod si debitor, missione spreta, creditores frustrari pergat, impetrant illi decretum de proscribendis vendendisque bonis, Theoph. *d. loc.* Per proscriptionem præconium sunt qui intelligant, Rebus. *de præc. §. licit. ad rubr. n. 3.* Non rectè, cum proscriptio libellis fiat, præco autem proclamasse, nunciassè, non proscripsisse dicatur. Vide Brisson. *lib. 6. formul. Notom. in verb. proscribere l. 11. §. de quo palam §. seq. D. de instit. act. l. 34. §. 1. D. de statulib.*

XLIII.

Sed si ante bonorum venditionem existat, qui defendere vel solvere paratus sit, æquum est, ut bona restituantur una cum fructibus; ita ut & impensarum à creditoribus factarum, & si dolo eorum deterior causa possessionis reddi-

reddi-

reddita fuerit, per in factum actionem ratio habeatur, l. 4.
in fin. l. prator ait 9. D. de reb. aut jud. poss.

XLIV.

Si plures sint creditores, & diversi generis, separationem bonorum impetrare possunt. Separatio est bonorum creditorum aliorum ab aliis seorsim habita ratio: Velut; creditorum & bonorum hereditariorum à bonis & creditoribus heredis l. 1. §. 1. & seqq. D. de separat. castrensiū à paganis, d. l. 1. §. si filii. Tribuitur etiam patrono separatio, cujus liberta temerè damnosam hereditatem adiit l. pen. §. 1. D. eod. item seruo necessario heredi d. l. 1. §. ult.

XLV.

Ponamus creditores hereditarios, impetrata bonorum hereditariorum separationem solidum consecutos non esse, an ad bona heredis reverti possunt, dimissis jam creditoribus heredis? Negat Ulpianus in d. l. 1. §. item sciendum 17. Paulus in l. 5. D. de separat. Affirmat Papinianus in l. 3. §. ult. D. eod. Quemadmodum conciliandi, vide post. Glossogr. & Bartol. Cujac. lib. 27. Quæst. Papin. Donel. 23. com. 16. in fin. Zas. in d. §. item sciendum.

* Vid. d. Exerc. 44. thes. 64.

XLVI.

Proscribenda porrò sunt bona celeberrimis urbis locis, adjecta etiam, si res ita tulerit, emtionis lege: Veluti, ut emtor satisfaciat creditoribus in dimidiam, tertiam, quartamve partem Theoph. d. loc. Proscriptionem sequitur hasta, præconis vox, licitationes emtorum, addictio. Quæ solennia tam putantur necessaria, ut nec conventionem debitoris remitti possint, arg. l. debitorum 25. C. de pact. l. jus publicum 38. D. eod. l. 2. & 6. C. de fid. & jur. hast. fiscal. Imbert. 1. Inst. for. 57. Rebuf. in rubr. de licit. n. 18.

C

XLVII.

XLVII.

Si plures emere parati sint, extraneo emtori præferatur cognatus, utrique creditor, *l. cum bona 16. D. de reb. auct. jud. poss.* dummodò tantundem offerant, quantum extraneus. Est enim hæc auctio-
num regula, ut qui licitatione vicerit, melioremve conditionem attulerit, ei res addicatur. *l. 4. C. de iur. bast. fisc. l. 4. ubi Bald. & Salicet. C. de vectigal.*

XLVIII.

Melio-rem conditionem facit non solum pretii magnitudo, sed & exigendi facilitas. Itaque si posterior, qui pretium auxit, minus idoneus sit, ad priorem magister auctio-
nis reverti potest, *arg. l. 9. D. de in diem addict. ub. Costal. in ad- vers. Rebus. d. tit. art. 7. num. 21. Christ. ad consuet. Mechlin. tit. 13. art. 25. num. 10.*

XLIX.

Si prædia genarchica debitoris vendita sint: estne locus juri *εργολαβίας*, seu ut vulgò loquuntur retractus? Ita vi-
detur, *arg. d. l. cum bona 16. D. de reb. auct. jud. poss. l. si in em- tionem 35. D. de minor. l. lex qua 22. vers. nec verò domum C. de admin. tut. l. in fundo 38. D. de rei vind. Chaffan. ad cons. Burg. rubr. 10. de retract. §. 9.*

L.

Si actio vendita sit, an habet locum constitutio Ana-
stasii, *l. pen. C. mand.* ut cessio non valeat, nisi ad modum soluti pretii? Nequaquam; distractio enim quæ publicè fit, exclu-
dit turpem *εργολαβίας* suspicionem, ut rectè Baldus & Ca-
strensis scripsere, *ad d. l. pen.* eosque secutus Sande, *de cess. a- ction. cap. 9. n. 24.*

LI.

Si emtor duplo pluris emerit, non gaudere debet bene-
ficio *leg. 2. C. de rescind. vendit.* Affirmant Jac. Curt. 2. conj.
10. Re-

10. Rebuf. d. art. 7. num. ult. & tit. de rescis. contr. glos. 15. n. 38. Pinel. ad d. l. 2. part. 2. num. 21. & seqq. Vasq. 6. contr. 61. num. 1. 2. 3. Parlad. d. part. 5. §. 16. num. 10. & 11. Giphhan. in d. l. 2. pag. 309. & c. Negant Bald. in l. 1. C. de prescr. 30. an. n. 3. Accurs. in l. 1. verb. magni pretii D. de jur. fisc. & in l. 3. C. eod. Angel. in l. sciendum D. de V. O. Fab. de err. pragm. dec. 10. err. 9. Neostad. decis. sup. cur. 75. Grot. 3. manud. ult. Ego neque affirmantibus, neque simpliciter negantibus adstipulor, sed distinctione rem expediendam arbitror.

* Vid. Syntagm. Jur. civ. Exerc. 23. tbes. 89.

LII.

Si res venditæ evictæ fuerint, an de evictione vel creditores, vel executores rei judicatæ conveniri possunt? Neutri: l. 50. l. 74. §. 1. D. de evict. l. 13. C. eod. l. 49. D. fam. ercisc. nam ne tum quidem evictionem creditores præstant, cum ipsi pignora, jure creditorum, non jure communi distrahunt l. 1. & 2. C. cred. evict. pign. non deb. l. 10. D. de distr. pign. l. 11. §. sententiam D. de act. emt. Sanè adversus debitorem actio emti danda videtur arg. d. l. 74. §. 1. D. de evict. l. si ob causam 13. C. eod. l. 24. D. de pign. actione. Duar. in l. 15. §. si addictum D. de re judic. Donel. in l. 13. C. de Evict. adde Covar. 2. var. resol. 1. n. 2. Parlad. d. §. 16. n. 20.

LIII.

Pendente subhastatione cujus emolumento fructus sunt, utrum debitoris, an emtoris? an magis creditorum? Debitoris: non utique emtoris, quandiu pretium ab eo solutum non est, arg. l. 4. pr. & §. 4. l. 6. D. de in diem addict. l. acceptam 19. C. de usur. l. 9. C. de solut. §. venditæ. Inst. de rer. divis. l. 13. §. offerri D. de act. emt. l. 5. §. sed etsi dedi D. de tribut. act. Christin. ad tons. Mecbl. tit. 7. art. 2. n. 17.

LIV.

Ultima exequendi ratio carcer est, de quo etsi parcius jura loquuntur, non obscuris tamen vestigiis colligitur, fuisse etiam Justiniani ævo hoc exequendi genus legitimum: imprimis adversus debitores suspectos, fugitivos, dilapidatores, l. 1, § ult. C. qui bon. ced. poss. l. si victum. 34. D. de re judic. l. 10. §. si debitorem D. qua in fraud. credit. l. 9. §. ult. D. ad leg. Jul. pecul. nov. 135. cap. 1. Gentil. 1. de jurisd. cap. 13. U-
sus certè plerarumque regionum probat: Gudel. de jur. no-
viss. 16.

* Add. d. Exerc. 44. tbes. 32. versic. notandum denique.
Add. d. Exerc. 44. tb. 30.

LV.

Ultra carcerem non progredimur ad poenam aliquam corporalem: Regula enim, *Qui non habet in are luat in corpore*, in delictis tantum locum habet, l. 7. D. de jurisd. l. ult. D. de in jus voc. l. 1. §. ult. D. de pœn. l. 9. D. de incend. ruin. naufr. in contractibus ista utimur: *Inanis est actio, quam excludit inopia debitoris* l. 6. D. de dol. mal. Gentil. d. lib. 1. cap. 14. in fin. § lib. 3. cap. 11. Hot. ill. quest. 26.

LVI.

Multo minus cadaver defuncti vexari potest, donec debitum solvatur, nov. 60. cap. 1. l. cum sit injustam § aut b. seq. C. de sep. viol. Cujac. in d. nov. Boër. decis. 287. Et licet quidam existimaverint, eorum cadavera detineri posse, qui in-
strumento garentigiato se obligaverant; tamen hos quoque rectè notant Grammat. decis. 82. Covar. d. cap. 1. num. 10. Hip-
pol. sing. 199. Coler. d. part. 1. cap. 6. num. 116. § seqq. Me-
noch. de arb. jud. cas. 387. n. 20. Gomes. tom. 2. var. resol. 11. n. 56. Peck. de jur. sist. cap. 5. num. 23. Farin. quest. 20. num. 142.

LVII.

LVII.

In includendo autem debitore cavendum quidam monent, ne de domo sua extrahatur: posse enim extrahenti impunè resisti, *Parlad. d. part. 9. §. 6. num. 1. arg. l. plerique. 18. l. sed et si is. D. de injus voc. l. nemo 103. D. de reg. jur.* Verùm nihil eæ leges ad eam sententiam firmandam conferunt. *Vide Bald. in repet. d. l. sed et si is. Myns. 4. obs. 69. n. 10. & 11.*

LVIII.

Cavendum etiam monent, ne mulier, miles, nobilis, doctor, minor annis XXV. carceri includatur, *Covar. d. cap. 1. num. 3. & seqq. Parlad. d. §. 6. num. 10. & seqq. Coler. d. cap. 6. num. 146. & seqq. Gudel. d. cap. 16.* De muliere sunt loca expressa *l. 1. C. de offic. div. jud. auth. sed bodie C. de cust. reor. nov. 134. cap. 9.* De milite non est nominatim scriptum, sed argumento colligitur *l. miles 6. l. item miles 18. D. de re judicat.* Reliquos etiam argumentum destituere videtur, *Zal. & Duar. in d. l. miles.*

LIX.

Lege Julia carceris squalorem effugiunt, qui bonis cedere malunt, *l. 4. C. qui bon. ced. pos. dummodo cedant omnibus, ne teruncio quidem recepto, l. 1. C. eod. l. 6. D. de cess. bonorum Gloss. in l. pen. D. eod. Azo. in sum. C. num. 5. Hotom. ill. quest. 26. Brun. de ces. bonor. quest. 3. princ.* Excipiunt aliqui instrumenta artis, ad victum parandum necessaria, *Cov. d. cap. 1. num. 5.* sed nulla prorsus ratione.

* *Add. Carpz. ad Part. 2. Constitut. Electoral. 22. def. ult.*

LX.

Cedi potest tam in jure, quàm extra jus, sola voluntatis professione *l. 6. C. eod. l. pen. & ult. D. eod.* sed ita si civilis sit causa: non si criminalis. In criminalibus enim, ut supra

dictum, utimur ista regula *Qui non habet in ere, luat in corpore* *Glos. & Dd. in l. 7. D. de jurisd. Jas. in §. pœnales Inst. de act. n. 43. Covar. d. cap. 1. num. 8.*

LXI.

Cessa bona non sibi habent creditores, sed distrahunt, ut fit ex iudicati causa *l. 4. C. eod. l. ult. D. de cur. bon. dat.* Et si solidum consecuti sint, liberatur cedens: Sin minus, non potest interim ab eis inquietari, nec in carcerem duci. Sed si post cessionem aliquid acquisiverit, quod causam alimentorum excedit, de integro, in id tamen, quod facere potest, convenitur *d. l. 1. C. qui bon. ced. pos. l. 4. 6. 7. D. eod. §. ult Inst. de act.*

LXII.

Si moribus civitatis cessio cum ignominia fiat, veluti olim apud Bœotos, *Stob. serm. 42.* hodieque apud Suevos, *Zaf. ad rubr. D. de ces. bon. num. 3.* Lugdunenses, *Guid. Pap. quest. 343.* Papienses, *Menoch. de arbitr. jud. cas. 183. num. 14.* & c. in totum cedentem liberati tradunt *Castrens. & Jason. in l. 7. D. de jurid. Costal. ibid. Guid. d. loc. Menoch. d. cas. num. 22. & 23.* Non rectè: nam & apud Romanos cessio, eamque consequens venditio ignominiosa fuit, *§. 1. Instit. Qui & ex quib. caus. man. nov. 135. Hotom. d. quest. 26. Covar. d. cap. 1. num. 6.*

LXIII.

Non coguntur bonis cedere, consequenter nec carcerem sustinere, quibus hoc beneficii datum est, ut ne conveniantur, nisi in id quod facere possunt. In quo numero censentur parentes, patroni, fratres, maritus, uxor, sacer de dote conventus, donator, miles, socius; sive is universorum bonorum, sive certæ rei sit, *l. sunt qui n. 6. & seqq. D. Sol. matr. l. verum est 63. D. pro soc. §. sunt praterea Inst de actio.*

LXIV

LXIV.

Si quis negaverit se debere, dein convictus fuerit an bonis cedere potest? Potest, *arg. l. pen. D. de ces. bon. l. nemo 43. D. de reg. jur. Salic. in l. 1. C. Qui bon. ced. pos. Dec. & Cagnol. in d. l. nemo. Fachin. 13. contr. 69.*

Dissent. Angel. in §. ult. *Inst. de act.* Alciat. in c. cum non ab homine n. 76. *de judic.*

LXV.

Novissimo jure & carcer, & necessitas cedendi bonis remittitur illis, qui ejurant bonam copiam: id est, qui jurant se non esse solvendo, nec culpa sua ad egestatem redactos, *novell. 135. cap. 1.* Quid si quis renuntiet huic constitutioni, & cessione bonorum, ultròque ad carcerem se obliget, pecunia ad diem non soluta, an valet pactio? Affirmat Zas. 2. *sing. 2. sing. resp. 8.* Afflict. *decis. 326. num. 3.* Boër. *decis. 295. n. 10.* & 17. Coler. *d. part. 1. cap. 6. num. 45.* Mar. *part. 6. de citat. n. 11.* Gail. 2. *obs. 45.* Myns. 6. *observ. 51.* Negat Covarruv. *d. cap. 1. n. 7.* Guid. Pap. *quest. 211.* Brun. *de ces. bon. 5. quest. princ. quest. 20. num. 14.* Molin. *de contr. usur. quest. 36. num. 271.* Mod. Pistor. *part. 1. quest. 39.* Affirmantium sententiam tueri conabimur Conf. Moller. 1. *semestr. 35. 36.* Mornac. in l. 10. *D. ex quib. caus. maj.*

LXVI.

Effugit etiam utramque necessitatem, qui de consensu majoris partis creditorum inducias quinquennales à principe impetrat. Major pars ex quantitate magis debiti, quàm numero æstimatur: Si quantitas æqua debeatur, numerum spectamus: Si sint & numero, & debitis pares, sequitur princeps humaniorem sententiam, *l. ult. C. Qui bon. ced. pos. l. 4. C. de prec. Imp. offer.*

LXVII.

LXVII.

Impetratae induciae profunt non solum reo principali, sed & fidejussoribus ejus: nam & quadrimestre tempus fidejussoribus prodest *l. ult. §. 1. C. de usur. rei jud.* & pactio debitoris de quota debiti, *l. si precedente 58. §. 1. D. mandat.* & beneficium ordinis habent, *nov. 4. cap. 1.*

Dissent. Rebuf. *de dilat. art. 1. glos. 1. num. 42.* Sanè si fidejussor beneficio ordinis renunciaverit, facilius dici poterat, inducias à reo impetratas ei non prodesse, Coler. *d. part. 1. cap. 4. num. 12.*

Diss. Bald. *in l. quotiens C. de prec. Imp. off.*

LXVIII.

An etiam cursum usurarum sistunt? Ita videtur: sunt enim beneficia principum latissimè interpretanda; parumquo prodesse induciae, currentibus interim usuris, *l. 3. D. de constit. princ. l. non solum 8. §. illud D. de liber. legat.* Rebuff. *d. glos. 1. num. 72.* Boër. *decis. 296. n. 5.* Moller. *4. semestr. 7.*

* Sane cum istae induciae dilationem solum quoad exactionem concedant, adeoque ultra intentionem concedentis hoc beneficium non extendendum sit, ut eo etiam cursus usurarum promissarum sistatur. Nec debitori cum injuria & damno alterius subvenire, ac usuris, interea temporis creditore sortem retinente, plane privare liceat. Ideo æquior videtur contraria sententia. Vid. Guilielm. Anton. Freundeberg, *d. Rescript. morator. Tit. 9. concl. 63. num. 10. & mult. seqq.*

LXIX.

Si quis juraverit se soluturum, an potest impetrare inducias? Tam validè id negat Rebuf. *d. glos. 1. num. 22. & 23.* ut putet tribus modis eum pejerare: 1. non solvendo, 2. judicem non interpellando, 3. supplicando principi. In eadem hæ-

resi

reli Jason est in l. quotiens C. de prec. Imp. off. num. 2. Coler. d. part. 1. cap. 4. num. 17. Everh. in top. loc. à vi juram. num. 31. Nos contra existimamus, non illicò perjurum dici posse, qui inducias impetrat, cum jurasset se soluturum.

LXX.

Quinquennio elapso an adhuc bonis cedere liceat, non immeritò quæritur. Plures videntur tradere, non licere: Glos. & Castr. in d. l. ult. C. qui bon. ced. pos. Covar. d. c. 2. n. 7. Brun. d. quest. 20. Rebuf. d. glos. 1. n. 61. Afflict. decis. 378. Schneid. in §. ult. Inst. de act. n. 5. Pec. de jur. fist. cap. 5. n. 16. Verum cum nec lex ulla vetet, nec ratio legis sit impedimento, contrarium tueri malumus, cum Papon. 10. tit. 10. arr. 1. append. Charond. 2. respons. 16.

LXXI.

Convenire etiam solet debitor, qui solvendo non est, cum creditoribus de parte debiti solvenda. Qua in re si dissentiant, prætoris decretum necessarium est, qui sequitur consensum majoris partis. Et majorem partem æstimat 1. quantitate, 2. numero 3. dignitate, 4. paribus omnibus humaniorem sententiam amplectitur l. 7. §. 17. & ult. l. 8. 9. 10. D. de pact. Vide Strach. tit. de decoct. part. 6. Afflict. dec. 288. Brun. de cess. Bonor. quast. 23. Moller. 4. semest. 6. n. 5.

LXXII.

Verùm, ea pactio tum demum locum habet, cum aut jacente hereditate heres deliberat, ut ad adeundum provocetur, d. l. 7. de pact. l. 3. §. 1. D. ad Leg. Falcid. aut debitor disparuit, ut sit qui conveniri possit. Unde sequitur, cum debitor in medio est, non cogi minorem partem sequi majoris voluntatem. Glos. in d. l. 7. §. ult. verb. quota parte, Bartol. in d. l. 10. n. 4. D. de pact. Accuratus Castrens. & Jas. in d. §. ult. post Guil. de Cun. Alber. Bald. Salic. & Alex. ibid. Borch. de pact. c. 5. n. 22.

D

LXXIII.

LXXIII.

Præjudicat pactum etiam absentibus, non tamen hypothecariis. An privilegiatis? Affirmat Ulpianus *in d. l. 10. D. de pact.* Negat Paulus *in l. si precedente 58. §. 1. D. mandat.* De conciliando utroque consule post Glossogr. Bartoi. & veteres, Baron. Cuj. Costal. Mornac. *in d. l. 10.*

* Pactio præsentium nocet creditoribus absentibus etiam privilegiariis quoad partem debiti remissam *d. l. 10. pr. vers. sed an.* non verò quoad privilegium, quod ipsis ita auferri iniquum esset. *d. l. 58. §. 1. vers. sed cum properas. mandat.*

LXXIV.

Obiter de induciis illud adjicimus, falsò interpretes existimasse, *in l. quoties C. de prec. Imp. off.* agi de induciis anni vel biennii, cum hoc solum dicat, præscriptionem moratoriam, id est, dilatoriam remitti posse; peremptoriam remitti non posse *l. 3. C. Theod. de div. rescript.* Cujac. 2. *obs. 10.* Gi-phan. *in d. l. quoties.*

* LXXV.

Præterea de induciis ejusmodi elegans occurrit controversia: an contra debitorem impetrantem inducias moratorias, has contra ipsum ejus creditores retorquere possint? Affirmat Aloys. Riccius *collectan. decis. part. 1. coll. 8.* Carpzov. *P. 3. c. 38. def. 1. n. 7.* Negant Matth. Coler. *de proc. exsec.* Guilielm. Anton. *d. tract. tit. 9. conclus. 52.* Nos distinguimus *tract. de vindict. privat. cap. 2. apbor. 15.* Sic Mens. Septembr. A. 1678. respondit collegium nostrum: So mag dis fals / vermöge anderer Rechtslehrer bewehrter Meinung / erwehntes Jus retorsionis, zumaln nicht dargetahn / daß ihr in Abfall eurer Nahrung durch Unglücksfälle gerahen / nicht Statt haben / sondern ihr seyd J. H. wegen ihrer Schuld / so sie bey euch beständig zu fordern / gedachten Einwendens ungehindert zu befriedigen schuldig / B. K. W.

Sedululus invigilas studiis, & iussa
Themistæ
*Exsequeris solers: præmia opima fe-
res!*

*Eximio Dn. Staudio, J. V. Cultori
mentem benevolam exhibet*

Georgius Adamus Struve / D.

I N L A U D E M

Clariss.

D N. R E S P O N D E N T I S;
*utilissimam de Executione Rei Judi-
cate Disput. masculè defendentis; Auditoris le-
ction. mear. Theoretico. Pract. indefessi
scrip. Gratulab.*

Joh. Frider. Georgi, D.

Curiar. Saxo-Ducal. Advocat. Ordinar.

Curia quid valeat; quæ vis Prætoris
haberet?

*En! scandens Cathedram cernis &
exequeris.*

Judice

Judice fervidulâ prudenti lite sopitâ,
Damnatôque Reo, qui, si præstare re-
cuset

Præstandum, sit pergendum, Victorque
juvandus,

Defendis doctè satis & prudenter, A-
mice!

Hinc dabit haud frustrâ **TIBI** præmia pa-
tria dulcis!

*Sic Nobilissimo atque Præstantissimo Do-
mino Gothofredo Stauden / A-
mico, Fautori atque auditori suo
solertissimo, de felici in studio ju-
ris successu gratulari voluit*

Joh. Christoph Wunch /
Arnstad. Thuring. Jur.
Cand.

